



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 71. Variæ SS. Congregationum Decisiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII
A. C. 1672

pulis in miserrimam captivitatem, servitutemque abstractis Mahumetanae perfidiæ abominationem vi, terrore, dolo, variisque artibus implantare conati sunt. Præterea die quinta Decembris anathemate, aliisque poenis irretitos declarabat illos, qui Romæ Jacobum Patriarcham Antiochenum, cum rheda sua domum reverteretur, circa primam noctis horam die trigesima Novembris pluribus globorum ictibus gravissime vulnerarunt.

§. LXXI.

Variae SS. Congregationum Decisiones.

Decr. S.
Congr. Imm.
Rit. Sc.

Ex pluribus SS. Congregationum decretis hoc anno emanatis pauca adducemus, & primo quidem S. Immunitatis Congregatio die vigesima prima Junii declaravit, quod absoluti ex causa violatæ immunitatis Ecclesiasticæ Bullæ Cruciatæ, non censeantur absoluti, Sacra autem Rituum Congregatio die tertia Septembris decernit, quod si Festum septem Dolorum B. V. occurrat in aliud festum altioris Ritus transferatur in Sabbatum sequens, si vero concurrat cum festo Annuntiationis B. V. vesperæ dicantur de Annuntiatione sine commemoratione de septem

septem Doloribus. Eadem quoque Congregatio die tertia Decembris declaravit, quod functiones Pontificales, quæ absente vel impedito Episcopo spectant ad primam dignitatem, sint Festum Nativitatis Dominicæ, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Petri & Pauli, B. V. assumptæ, omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, ejusdem Ecclesiæ titulus, urbis Patronus, commemoratio omnium Defunctorum, Distributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio Officii in Feria quinta & sexta in Parasceve, resurrectio Dominica, & dies solemnis Corporis Christi unacum Processione.

Sæc. XVII.
A. C. 1672.

§. LXXII.

Synodi Monasteriensis Decreta.

Moverat hoc anno in Batavos bellum Christophorus Bernardus de Galen Monasteriensis Episcopus, qui etiam Gallorum, & Coloniensis Archiepiscopi copiis auctus, præter plurimas ignobiliores Transisulanæ Provinciæ urbes etiam Lingam, Grollam, Borckolum, Lochemium, & Brevortiam qua vi qua deditione expugnavit, ipsamque Deventriam urbem Hollandis eripuit, pactus tamen cum illis, ut Calviniani pro suo ritu duas Ecclesias necnon superio-

*Neuvill. l. 6.
cap. II.
Concil. Germ.
t. 10. p. 36.*